DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HYDROTHORACE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

RICHARDUS WILSON GREATHEED,

EX INSULA SANCTI CHRISTOPHORI,

Soc. Med. Edin. Sodal.

Ad diem 12 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos,

M, DCC, LXXI.

Baroni Binning
ab auctore



Viro honorabili

CRAISTER GREATHEED,

ARMIGERO,

In Insula Sancti Christophori,

Judici summo,

Patruo suo semper colendo:

Nec non Viro gravi

GULIELMO CULLEN,

Medicinæ Usus et Institutionum,

In alma Academia Edinensi,

Professori illustri,

Praeceptori suo de se optime merito:

Haec Studiorum Rudimenta

Sacra voluit

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

DE

HYDROTHORACE.

CORPORIS cava, vivente homine, humoribus aut firmis ita replentur, ut latera eorum, mole, pondere, aut rarefactione earum rerum quas continent, assidue adprimantur.

CAVA autem sunt primum vasa sanguifera, dein ea quae, aut corpore ejiciendos, aut in cavum aliquid majus transferendos, humores e sanguine secretos recipiunt; tum spatia partibus interposita quae tela cellulosa replet; postremo ea, quibus organa quaedam intus continentur, qualia caput, thorax, abdomen, et scrotum, sunt.

QUORUM omnium interiora latera humor exilis, ex arteriis exhalantibus, quae

in omnes corporis partes desinunt, dimanans, semper humefacit *.

Idem a vasis lymphaticis, absorbendi officio fungentibus, intro accipitur. Qui humor, in telam cellulosam, aut ea cava quae organa continent, abundantius effusus, aut parcius, ut postea dicetur, ab absorbentibus receptus, Hydropem; thoraci idem incidens, eam hujus speciem, quam in mea laureae petitione tractandam putavi, scilicet Hydrothoracem, efficit.

DEFINITIO.

Hydrothoracem spiritus difficilis, pedum tumor, urina parca, decubitus molestus, subita praeter solitum ex somno

* Ingeniosissimus peritusque anatomicus Hunterus, hunc humorem arteriolis exhalantibus non effundi, sed per tunicas vasorum, quorum fibrae minus densae sunt, ad tenuissimas sanguinis partes continendas, transudari, opinatur.

no cum palpitatione excitatio, aqua in pectore intus fluctuans, satis recte definiunt *.

HISTORIA MORBI.

SURARUM pars inferior, premente manu, foveam, sub noctem evidentem, mane nullam retinens, incipientis hydropis primum est indicium. Neque primum solummodo hoc, verum etiam, si mox ponderis in thorace sensus, si spiritus difficultas, recumbente homine, aucta, et fluctuatio intus, praesertim situ corporis mutato, manifesta, succedunt, certum fere signum est. Simul totius corporis torpor, cordis palpitatio, et saepe alterius brachii paralysis, saepe brachiorum manuumque, saepius alterius tantum brachii manusque, tumor, ex aqua intercute incidunt. Ad inferiorem thoracis partem, cui

* Cullen Gen. Morb.

cui ſeptum tranſverſum ſubeſt, tumor affixus proprium a nonnullis habitus eſt ſignum, apud Graecos παθογνομονικον dictum: Eſtque, ubi nullus tumor extrinſecus apparuit *. Interdum ſcroti tumor ante

* 'Hi tumores non raro praegrandes fiunt, ut vel 'plures libras ſeri puri, quod calore in offam, ut albu-'men ovi, abit, complectantur, ac ſaepiſſime haerent 'intra duplicaturam pleurae, et cavitatem thoracis re-'plent, quibus diſruptis, ingens pectoris fit inundatio, 'quae, pulmonum expanſionem et motum diaphragma-'tis impediendo, aegrum ſuffocatione tollit opprimitque. 'Vidimus talem caſum ante aliquot annos in generoſo 'militiae praefecto, qui de dolore in pectore continuo, 'fixo, et compreſſorio ſiniſtri lateris conquerebatur; pau-'lo difficilis cum tuſſi ſicca perpetuo aderat reſpiratio, 'quae intervallis, praeſertim noctu, ab incongruo max-'ime ſitu, ita ingraveſcebat, ut ſumma anxietas cum 'ſuffocationis metu per aliquot horas adeſſet, pulſus 'continuo frequens, mollis tamen, ſine ſiti, vel notabili 'calore; neque appetitus, neque ſomnus plane deficie-'bant; pedes frigidi et una cum ſcroto tumore oedema-'toſo laborabant; exterius in thoracis regione nihil tu-'moris, nihil ruboris, animadvertebatur. Accedit de-'mum, ut a paulo fortiori thoracis commotione a ca-

'chinno

ante alios eſt *. Quae utique rariora ſunt. In utrumque latus difficile plerumque, interdum in alterum tantummodo, decum-

'chinno confeſtim in maximam et continuam ſpirandi 'anguſtiam atque anxietatem, quae ad quindecim ho- 'ras durabat, incideret, qua etiam infeliciter miſereque 'ſuffocatus periit. Aperta thoracis cavitate, latus ſini- 'ſtrum totum ſeri, minimum, octo librae inundabant, 'quod largius, levi ſaltem inciſura facta, effluebat, eo- 'demque penitus effuſo, membranaceum receptaculum, 'diſci majoris magnitudine, tenue tamen, ad latus ſini- 'ſtrum in conſpectum venit, quod ſine omni dubio ex 'membrana pleurae productum erat, et collecta intra 'duplicaturam ex vaſis lymphaticis diſruptis lympha 'talem capſulam ſibi efformaverat.' Hoffman. Sect. 1. cap. 7. § 25. vol. 3. Quarto.

'Multos aqua aut pure intus in pectore extinctos, 'nullo extrinſecus tumore apparente,' obſervavit Donaldus Monroius.

* 'Scrotum in hoc hydropis genere attollitur in tu- 'morem, antequam vel venter vel pedes intumeſcant. 'Neque enim ſemel ſed iteratis vicibus deprehendimus, 'quod jam tumido ſcroto pedes oedematoſo tumore cor- 'ripiantur.' Hiſt. Morb. Uratiſlav. 1699, 1700.

cumbitur. Pulſus tardi, debiles, et ſine ordine, ſunt. Urina, ut ſupra dictum eſt, parca, et ſaepe ſitis magna eſt *.

MORBI DISCRIMINA.

SOLUS morbus hydrothoraci ſimilis eſt empyema. Nam utrum pus, ut in hoc, an aqua, ut in illo morbo, thoracem repleat, nihil ad dignoſcendos morbos refert; quoniam pus, quod ſtagnando acre fit, et lympha, quae, paulo diutius extra vaſa morando, putreſcit, pariter partes quas contingunt irritant.

DISCRIMEN autem quo alter ab altero internoſcatur, eſt, quod in empyemate inflammatio fuit, febris hectica eſt, quibus caret hydrothorax. His igitur ſignis ſpirandi difficultas ſuperveniens empyema

* CUM igitur adeo morbi facies in longe pleriſque caſibus conſtet, Du Haenio et Reimmanio, ſupra relata ad morbum intelligendum minime ſatis eſſe, dicentibus, nequeo aſſentire.

pyema ſignificat; hydropem vero ſubeſſe, ea quae ſupra retulimus, plerumque indicabunt.

PRINCIPIA.

Hujusce morbi plurima ſunt principia. Inter hæc, primum obtinet locum quicquid rubros globulos aut gluten abſtrahit, ut haemorrhogiae, ſive natura, ſive arte, caſuve excitatae, excretioneſque ſeroſae auctae; quicquid etiam arteriolas exhalantes relaxat et nimium humorem effundit, ut atonia cachexiam, ideoque hydropis initium, faciens, utque immodica ſanguinis detractio, quae, debilitato corpore, omnia vaſa arterioſa, ideoque et exhalantia, reſolvit, viamque ad effuſionem nimiam facit. Quam rem explicare jam aggredimur. Qui, quot foramina, quot exitus humoribus toto corpore dentur, ſecum reputet, qua ratione ii intus cohibeantur, profecto mirabitur;

bitur; eoque magis, ſi longe maximam ſanguinis partem ſeroſitatem eſſe, quae ſponte ſua naturaque undique diffluit, conſideret. Quid igitur huic obſtat, quo minus nimia abundantia ſecedens reliquam partem nimis craſſam relinquat? Eſt pars ſanguinis cujus particulae tantae magnitudinis ſunt, ut in naturali ſtatu vaſis ſanguiferis contineatur. Eam partem rubri globuli et gluten efficiunt; quae, ſeroſitatem ſubtiliter per ſuas particulas diffuſam, implicans retinenſque, nimia copia effluere prohibet. Quae tamen effluet et hydropem creabit, ſi implicantis hujus partis, ſcilicet rubrorum globulorum aut glutinis, tantum ſubtrahatur, ut quod reliquum intus ſit ſeroſitati retinendae impar evadat. Alterum hydropis principium eſt, gluten ſolum ſubtractum. Gluten ſolum, et non etiam rubros globulos, ſubtrahunt magna ulcera diutiuſve fonticuli et ſetacea ſervata.

SED

SED et ſeroſae ac omnes excretiones quae nimiae ſunt, eadem ratione, ſcilicet gluten diſperdendo, hydropem progignunt. Cujuſmodi ſunt diarrhoea, dyſenteria, diabetes, fluor albus, et ſimilia, quae diuturniora forte fuerint. Qui morbi, tam organa excernentia ampliando, ita ut craſſioribus partibus effugium praeter naturam permittant, quam atoniam vaſculorum exhalantium gignendo, hunc effectum edere poſſunt.

PRAETER hanc ſanguinis partium ſeductionem, victus tenuis et aquoſus hydropem gignit. Quam proclivis autem hujuſmodi humor ſit ad vaſa exhalantia permeanda, experimentum Haleſii docet. Is, in venam canis jugularem aqua ejuſdem, cujus ſanguis eſt, teporis, infuſa, hydropicum eum intra horam dimidiam fecit.

VIRES quoque externae, quales ſunt nervorum diſtenſiones contuſioneſque, hydropem gignunt. Sic Donaldus Monroius hominem memorat, nervis inter opus tol-

lendum diſtentis, in aquam toto corpore inter cutem protinus incidiſſe. Illic atonia, quam omnes hujuſmodi diſtentiones manifeſto inferunt, in cauſa fuiſſe videtur.

Hydropis porro principium faciunt quietum vitae genus, humiduſque cum frigore aër. Itaque ſartores, ſutores, textores, et piſcatores, prae aliis, hydrope periclitantur; etiam paluſtribus et ſylveſtribus locis accolae, ut Batavi, et Americani qui tractus adhuc ſylvis crebris obſitos habitant. Quippe enim hujuſmodi in locis plurimùm humoris foraminibus ubique corporis ſimul accipitur; ſimul aër, jam humore refertus, eum qui e corpore per eoſdem meatus undique dimanat, non ſatis aufert. Quo fit ut is quoque reſorberi rurſus, et congeſtam intus molem augere, periclitetur.

Potiones meracae immodicae eodem etiam conferunt. Quae utique atoniam procreando agunt. Eaedem, aliquando inflammationem accendendo, ad duros

tumores,

tumores, hydropis efficactrices, viam sternunt; qui, venosi sanguinis reditui officiendo, principiis hydropis annumerandi sunt.

INTERDUM etiam ingentes aquae frigidae praeter solitum haustus vehementer ad hydropem faciendum valent. Hi frigore solummodo agere mihi videntur, cujus vis propria vel arteriolarum exhalantium tonum imminuit, vel vasa perspirationi dicata constringit, vel utrumque effectum edit. Quod ad primum effectum attinet, frigoris propria natura est, ut noxam corporibus animalium et perniciem intendat. Ea noxa seu pernicies in debilitando consistit. In hydropico igitur habitu, licet morbus propria forma nondum se prodiderit, partem maxime debilem, post noxam debilitantem, praecipue et primum passuram, rationale est. Ea vero pars arteriolae exhalantes sunt. Non igitur mirum est, si quae vasa jam ante in eo erant ut in morbum erumperent, oblata tam potente noxa, protinus eum susceperint.

fuſceperint. Hic ſubitum frigus pro poteſtate nocente, vaſorum exhalantium debilitas pro ſeminio morbi, habenda ſunt. Quod diſcrimen jure mihi ſtatuere videor: Non enim veriſimile eſt, abſque tali ſeminio intus latente, tali corporis jam ante exiſtente opportunitate, frigus abſoluta vi ſolum morbum inferre poſſe. Si enim hoc verum eſſet, centeni pro ſingulis in hydropem quotidie implicarentur, quod omnis experientia refellit. Dixi, propriam et naturalem frigoris actionem eſſe noxiam: Eſtque. Sed rogitet me aliquis, Qui igitur fit, ut frigus, niſi omnem modum ſuperat, plerumque ſalutem, raro noxam ferat? Pro reſponſo habeat, frigus ſaluti eſſe non ſua ſed noſtrorum natura et lege corporum. Corporis lex eſt, ut quicquid ſuos motus, ſive augendo, ſeu deprimendo, turbet, ea cerebri actio excitetur, quae noxae illatae obſtet. Itaque in hoc caſu frigus, dum cerebri actionem imminuere tendit, non tamen, ſi vires intus vigent, imminuit; quia actio cerebri

ad

ad noxam repellendam, etiam, quam ante, major, excitatur. Et in hoc frigidae lavationis omnis usus positus est. Contra, si vires cerebri debiles sunt, ut adversus noxam satis ejus valida actio nequeat renovari, noxa praevalebit, et morbus erumpet, perinde ac in hac re. Eoque fit, ut, licet omnes medici frigida aqua lavandos infantes uno ore consentiant, cujus consuetudinis utilitatem multis verbis Joannes Floyerus Eques commemoravit; tamen qui paulo prudentiores sint, infantes imbecillos sic lavari vetent, quia vires cerebri actionem suam intendendo impares, debilitantem frigoris vim, suam sequi naturam et perniciem inferre, sinunt.

ALTER frigoris effectus proprius est, ut summi corporis vasa constringat Quod fit, ut modo explicatum est, quia cerebri aucta actio eo pervenire et spasmum solvere non valet. Quod hydropico habitui, quem in atonia seu debilitate consistere dictum est, incidere verisimile est. Quoquo autem modo constrictio incidat, perspirabilem

ſpirabilem humorem, cum ad ſumma corporis aditus negetur, interiora petiturum manifeſtum eſt. Quod ipſum poteſtas in hydrope nocens eſſe poteſt, et una cum habitu hydropico prius exiſtente, tanquam ſeminio, morbum tandem inferre. Poſtremo, ſi uterque hic effectus frigoris ſubiti noxam ſimul, quod fieri poteſt, ſequitur, etiam vehementior ad morbum excitandum cauſa dabitur.

Postremo, principiis annumerandae ſunt animi perturbationes degravantes, ut moeror et moeſtitia diuturnior. Quarum ea vis eſt quae poteſtatem nervoſam reſolvit, ſanguinem tardat, excretiones omnes, et praecipue cutaneam, ſupprimit, eaque mala prae reliquis partibus viſceribus denique infert. Cujus actionis effectus extremus atonia eſt, potens hydropis cauſa.

In noxis ſupra memoratis, quae ideo principia dixi, quia nolui eas, quippe quod

quod difficillimum fuiſſet, in ſeminia et poteſtates nocentes, ut Gaubii verbis utar, ſubtilius deducere, tamen ad ſeminia magis pertinent haemorrhagiae cum excretionibus ſeroſis, et ex animi pertubationibus moeror et moeſtitia diuturnior. Nam, ſi quis habitum habet haemorrhagicum, et phlegmaticum ſeu in excretiones ſeroſas pronum, aut melancholicum cui moeſtitia naturalis eſt; ob cauſas ſupra dictas, eum in hydropem quoque pronum eſſe, et morbo, ſimul ac noxae, hunc in tali habitu excitantes, ſeſe offerunt, implicitum iri manifeſtum eſt. Talium autem noxarum, poſito habitu in hydropem proclivi, hunc excitantium, in numero eſſe videntur reliqua fere omnia quae principia nominavimus.

His poſitis, aetas et ſexus ſeminia hydropis praebent. Nam mulieres, pueri, et ſenes, ſi caetera omnia inter ſe paria ſunt, proniores in hydropem reperiuntur.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

PRINCIPIIS fuſius jam expoſitis, nunc reliquum eſt ut in eorum effectum, ſcilicet, eum ſtatum corporis ex quo morbus proxime pendet, inquiram. Is cauſa proxima vulgo, rectius morbum continens, appellatur. Quo, ut bene Gaubius explicat, manente, manet, ſublato, tollitur morbus. Itaque a principiis diſtinguendus eſt, ut ea, relicto morbo, poſſint decedere, hic a morbo individuus ſit. Aut, ſi qua principiorum, qualis aqua intus accepta et duri tumores ſunt, permanentia ad morbum jam inceptum ſervandum pertinet, mutato denuo nomine, pars cauſae proximae evadunt.

HYDROTHORACEM cauſa continens, vel a ſanguinis ſeroſi aucta effuſione, abſorptione eadem manente, vel ab hac imminuta, dum juſta effuſio eſt, pendet. Aucta effuſio, abſorptione eadem manente, dupliciter fieri poteſt; primum per vaſorum

vaſorum exhalantium integrorum fines, quod longe maxime conſuetum eſt; dein per lymphatica rupta, unde effundatur aſſidue lympha neceſſe eſt.

Per vaſa exhalantia effuſionis origo quintuplex eſt; primum, venoſum ſanguinem ad cor redeuntem impedientia; deinde, vaſis excernentibus obſtantia; tum, ſanguis in arteriis juſto citatior; denique, vaſa exhalantia relaxata; poſtremo, aquoſorum humorum nimia abundantia.

Quod ad primam cauſae partem attinet, nempe ſanguinis venoſi reditum impedientia, eum impediunt cordis actioni officientia, qualia hujus valvulae in oſſeam naturam verſae, et ſimilia*, ſunt. Item pulmonum,

* Ingenioſus praeceptor noſter Monroius hominem, praeter fluctuationem aquae, caetera hydrothoracicum curavit; adeoque etiam ſanaſſe viſus eſt, ut ſuam artem exercere homo ſolita animi alacritate et corporis vigore poſſet. Qui tamen brevi poſt tempore, ut plateis forte obambulabat, prolapſus humi ſubito expiravit. Inciſo cadavere, laeva thoracis pars aqua referta erat, dextra ſaccum

num, jecoris, et lienis impedimenta; qualia congeſti illuc humores, qui unus eſt, aut duri tumores, qui eſt alter inflammationis finis. Eſtque hic obiter obſervandum, duros tumores, quos, quatenus habitum hydropicum inferunt, principiis annumeravi, nunc permanentes, et ad morbum ſervandum pertinentes, cauſae partem fieri. Sed, praeter congeſtum eo ſanguinem, praeter duros tumores, cum per lienem et jecur multum ſanguinis, per pulmones univerſus totius corporis, neceſſario tranſeat; ita quicquid ulla ex parte illic impedimenta creat, ut id hydropis cauſa ſit neceſſe eſt. Quorum duo meminiſſe contentus ero, ſcilicet, calculos in quolibet eorum loco, et pulmonum conſtrictionem ſpaſmodicam. De calculis res manifeſta eſt. Conſtrictionis exemplum

cum aqua plenum habebat, os aortae, coarctatum et in oſſeam naturam verſum reperiebatur. Neque alia morbi cauſa inventa eſt. Idem vir egregius, aliquot abhinc annis, hominis toto corpore ex ſimili cauſa hydropici cadaver incidit.

plum dat gravis illa quae in acceſſione aſthmatis ſpaſmodicae incidit. Porro, ſanguinis reditui obſtabitur, ſi cordis actio adeo debilis eſt ut vim gravitatis in venis prementem nequeat ſuperare. Hinc in debilibus hominibus oedema et anaſarca erectum corporis habitum ſequitur. Denique, ipſarum venarum plenus habitus excretionibus quibuſvis, ut menſtruis, haemorrhoidibus, vel etiam ſeroſis, ſuppreſſis, per eas redeunti ſanguini reſiſtit. Poſtremo, ea venarum impedimenta, quae polypi intus aut compreſſio extra faciunt, in iis ſanguinem retardabunt. Comprimunt autem tumores, ſive in ipſis venarum tunicis, ſive extra eas, ſiti; item duri viſcerum tumores, ſteatomata, graviditas, aut congeſti in eas humores. Intus maxime peccant polypi cerebri ſinuum, aut prope os venae cavae, ſubnati.

Quod ad ſecundum caput attinet, vaſis excernentibus obſtantia hydropem faciunt.

Ex-

Exempli gratia, urina aut perſpiratio ſuppreſſa ut aquam intus augeant neceſſe eſt.

Citatior autem in arteriis ſanguis, quod tertium caput eſt, ſi venae pariter non cedunt et tranſmiſſum ſanguinem accipiunt, hydropis cauſa erit. Quia, ut ſupervacuus humor ſic in vaſa exhalantia ruat neceſſe eſt. Quae res inflammationis internae fere effectus eſt. In inflammatione exhalatio ſemper augetur. Quod ſi, ut interdum ſit, effuſi humores neque ſuppurantur neque venis recipiuntur, reliquum nihil eſt, niſi ut nimia copia intus accumulentur, et ſic hydropem afficiant. Quod malum praecipue thoraci et capiti accidit.

Ut ad quartum caput tranſeam, arteriae exhalantes manifeſto in paralyſi relaxantur. Itaque paralyſin ad omnes arterias et harum fines, arteriolas exhalantes, pervenientem, aqua intercus ſequitur.

Aquo-

Aquosorum humorum nimia abundantia, quod quintum caput posui, si intus in corpore est, ut plus per vasa exhalantia diffluat necesse est. Hunc statum cum excretio quaevis, tum praecipue perspiratio, suppressa, efficere possunt. Eodem etiam humidi aeris victusque tenuis et aquosi effecta pertinent. Estque hoc aliud exemplum ubi principium aliquod in causam, aut partem ejus, vertitur.

Atque haec omnia per effusionem naturalibus viis incidentem eveniunt, et longe frequentissima hydropis causa fiunt. Verum et effundi homores, et hydropem edere alio modo dictum est. Interdum vasa humores aquosos vehentia, puta lymphatica, disrumpi, et hydropem creare possunt, quae utique causa infrequentior est. Quare autem disrumpantur maxima constans causa ipsorum nimia distensio est.

Quod ad alterum causae caput, scilicet, absorptionis imminutae, attinet, quae de eo dicenda videntur, verbis Marteni * exponam.

"Absorptio imminuta ab ipsorum absorbentium vasorum obstructione exoriri potest. Atque haec nunc duorum generum esse ponuntur.

"1mo, Venarum extrema, ad sanguiferum systema pertinentium, quibus, in iis corporis partibus, quae venis lymphaticis valvularibus non instruuntur, fluida effusa absorbendi munus necessario assignatur.

"2do, Venae lymphaticae valvulares, ad quas generalius officium istud proprie pertinet.

"Quarum posteriorum obstructio duplex videtur; aut meatuum generaliorum aut singularium lymphaticorum obstructio.

"De hisce speciatim ordine dicendum.

"Ab-

* Thomæ Marteni dissert. med. de ascite Lug. Batav.

" Absorptio igitur imminuta accide-
" re poteſt a venarum obſtructione, in iis
" corporis partibus quae lymphaticis ab-
" ſorbentibus carent.

" Idque nullibi humani corporis ob-
" tingit praeterquam in cerebro, ubi huc
" uſque vaſa lymphatica abſorbentia nun-
" quam exiſtere conſtitit ; atque haec ve-
" riſimiliter praecipua eſt hydrocephali
" cauſa.

" Ad obſtructionem lymphaticam quod
" attinet, aut in lymphaticis generaliori-
" bus aut in ſingularibus, maxima lym-
" phae pars a venis lymphaticis in duc-
" tum thoracicum tranſit, et in venam
" ſubclavianam defertur.

" Si quavis de cauſa liber lymphae
" tranſitus per vaſcula lymphatica majora
" impediatur, in lymphaticis minoribus
" ſtagnabit lympha, eaque diſtendens pro-
" hibebit quo minus ſeſe depleant ; (id
" eſt, quo minus lympham ſuam ad ma-
" jora vaſa tranſmittant et ipſa minus o-
" nerata aliam abſorbeant) ; unde abſorp-

" tio

" tio in corporis cavis ceſſabit, et exha-
" latione per arterias procedente, hydrops
" ſequetur. Et in hujus rei exemplum,
" Scherbius lapillum in receptaculo chyli
" hydropem induxiſſe tradit *.

" RARIORA ſunt morbi hujus exem-
" pla a lymphaticis particularibus ori-
" entis; verum ab hac cauſa hydropes o-
" riri una aut altera hiſtoria vel ſatis
" probat.

" SOLERTISSIMUS Alex. Monro ju-
" nior, ſe tumorem hydropicum in altero
" extremorum inferiorum, ex alterius
" glandiuminguinalium tumore exortum,
" obſervaſſe memorat; idemque phaeno-
" menon in ſuperioribus extremis ab ax-
" illarium glandium tumore animadver-
" tiſſe tradit; celebris etiam Hunterius
" tumoris inguinalis hiſtoriam refert;
" quo rupto, magna tenuis aquoſi fluidi
" vis effuſa eſt, et ingenti copia per dies
" aliquot effundi pergebat, ſenſim autem
" minuebatur

* Diſſert. inaugur. in celeb. Haller. collect. diſput. vol. 5.

" minuebatur, et ſubito tandem deſiit; " pro ratione vero vulneris inguinalis ſa-" nati tumor hydropicus in crure vicino " exoriebatur *.

" ABSORPTIO imminuta ab abſor-" bentium etiam paralyſi evenire poteſt.

" ABSORBENTIA autem irritabili aut " muſculari contractione imbui, a variis " phaenomenis apparet; eo nempe quod " poſt mortem ſeſe evacuent, &c. &c.

" SI igitur contractio illa aut vis muſ-" cularis ab iiſdem cauſis minuatur, quae " in aliis corporis partibus paralyſin in-" ducunt, conſentaneum eſt abſorbenti-" um depletionem ſimiliter tardari, et " exinde fluidorum abſorptionem lentius " procedere. Atque huic origini, aliqua-" tenus, hydropes paralyſin et extremo-" rum atoniam comitantes, attribui vi-" dentur."

* Medical commentaries, p. 58.

RATIO SYMPTOMATUM.

Foveae in cruribus, impreſſo digito, retentae, omni fere hydropis ſpeciei commune ſignum dant. Quae res, licet in alias partes, quam alias, magis hydrops incumbat, et diverſas morbi quaſi ſpecies praebeat, tamen in omnibus totum corpus hydropici habitus tabiſque particeps eſſe oſtendit. Ejuſdem adfectus communis cauſa eſt ſanguis per venas adverſus vim gravitatis, poſitis quae ſupra relatae ſunt cauſis, difficilius viam moliens, et humores per telam celluloſam continuam ima petentes. Neque id, cum jam habitus hydropicus ſubeſt, mirandum; quoniam maxime robuſtis hominibus idem aliqua ex parte uſu venit; ſcilicet, ut veſpere tali craſſiores, mane tenuiores, manifeſto diſcrimine reperiantur. Diſcedunt mane foveae, quia recumbens corporis ſitus reditum ſanguinis venoſi expedit. Ob eandem cauſam etiam

ſanorum

ſanorum hominum mane crura attenuantur. In hydrothorace impedimenta venoſa, praecipue venae cavae, ſanguinis reditui objecta, hunc effectum eo magis illuſtrant. Spiritus difficultas vicinitati partis laborantis ad pulmones debetur. Quo fit ut his libere agendi non fiat poteſtas. Recumbente autem homine, ideo augetur, quia diſtendens humor in hoc corporis ſitu pulmones magis premit. Simul ſanguis venoſus, difficilius per hos viam ſibi faciens iſtum affectum auget.

FLUCTUATIO fit, quia in magno cavo aqua ultra citroque facile motatur; ubi vero hoc ſignum deeſt, id fieri poteſt ob exquiſite nimiam abundantiam. In vaſe pleno non fluctuat aqua; ergo hujus interdum ſigni abſentia, non etiam morbi abſentiam aut deceſſum, ſed magnitudinem, denotat.

HIC morbus eſt atonicus; quae res totius corporis torporem, cordis palpitationem, et brachiorum manuumque nervorum reſolutionem, explanat.

PALLOR

Pallor vultus, ſanguinem hydropicorum non ſatis elaboratum, et praecipue ſuffundi ſerum, ſignificat. Nam ſummi corporis, ideoque vultus, color, ut ſanguini vaſa ſua tralucenti, ita praecipue hujus rubedini, debetur. Venae enim ubique juxta ſummum corpus ſubter cutem diſperguntur; arteriae altius jacent. Praeterea, ut in omnibus rebus rubor citati ſanguinis, pallor tardati, indicium eſt, ita in hoc morbo manifeſte tardatus ſanguis hunc adfectum explicat. Itaque in hiſtoria morbi, pulſus tardi, debiles, et ſine ordine eſſe, dicti ſunt.

Estque ea res palpitationis cordis cauſa; quippe cujus adeo debilitetur actio, ut debitum ordinem nequeat ſervare.

Urina parca eſt, quia pars ſanguinis ſeroſa, quae per urinae itinera dilabi debet, alio diſſipatur.

Quod ſi magna ſaepe ſitis eſt, ea alioquin et vulgo fit ut per naturae deſiderium humor ad diluendum ſanguinem ſuppetat. Itaque re vera, quoties multum humoris

humoris ſeroſi, per excretiones hujus proprias, aut aliter, diſperditum ſit, toties ad hunc ſupplendum, ut in gravi exercitatione, ubi cum aliae ſeroſae excretiones, tum praecipue perſpiratio, ad largum uſque ſudorem adaugetur, magna ſitis accenditur. Eſt tamen hoc deſiderium naturae interdum, ut in hoc ſtatu, malum. Eſtque hoc magnum, ad verſus Staahlianam de animo rationabili doctrinam, argumentum. Nullum hic judicium eſt, ſed coecus adpetitus et mala mali cupiditas. Quicquid enim aquae hydropicus adſumit, id omne ad malum augendum pertinebit. Eadem tamen res, doctrinam de corporis libramine, quo id omnes a naturae modo inclinationes corrigere tendit, confirmat. Alia ſecretio imminuta auget aliam, et contra. Itaque ruens ad exhalantia ſerum minus humoris, unde ſecernatur ſaliva, relinquit.

Decubitus in latera difficilis, ſanguinis per pulmones tranſeuntis impedimento,

to, recumbente homine, debetur. Impedimento autem eſt aqua vicinorum pulmonum vaſa comprimens. Si igitur non debita celeritate ſanguis tranſit, molimine, quo impedimentum ſuperetur, opus erit; ſubinde igitur ſuſpiria, aut ſpiritus profundius tractus incident; aut, ſi non inciderint, ſtrangulationis periculum inquietum hominem ſervabit.

SUBITA e ſomno, abſque ſolito ſtimulo excitatio, eodem modo quo decumbendi moleſtia, explicari poteſt.

JUDICIUM EVENTUS.

OMNIS hydrops periculoſus eſt. Eſt enim, ut ſupra dixi, morbus in atonia, neque partis quidem, ſed totius fere corporis, poſitus. Quippe enim vix ulla in parte apparet, quin in alia aliqua, et ſaepe diſſita maxime, eadem affectio; in omnibus habitus hydropicus, ſcilicet, atonia, ſimul cernatur. Quo poſito, periculum tamen erit, pro partis, in quam mali

mali vis praecipua incumbit, ubi praecipua noxa ſedet, momento et dignitate. Itaque aqua in magna cava, juxta viſcera, maxime nobiliora, affuſa, peſſimum eventum denunciat. In ſummo corpore in telam celluloſam effuſa, ut in anaſarca et pedum oedemate fit, minus metuenda. Denique, in parte magis contentus hydrops, quam latius per corpus patens, exigua quam magna vis aquae effuſa, ſpem meliorem oſtendunt.

ALIUD judicium e principiis aut cauſa trahendum eſt; ſecundum quod aliae ſpecies inſanabiles reperiuntur; ut eae, quae ab inſanabilibus cauſis pendent, ſcilicet, a polypis, a magnis cordis noxis, ut hujus valvis in oſſeam naturam verſis, a pulmonum, jecoris, et lienis, duris tumoribus, ab imi ventris ſteatomatis, a lymphaticis ruptis aut latius impeditis: Aliae ancipites ſunt; ut eae, quae a reſolutione corporis communi, ſive atonia, quam duri viſcerum tumores fecerint, oriuntur; hoc ubi fit non prorſus inſanabile malum duci-

ducimus. Contra, si resolutio seu atonia non a duris tumoribus oritur, medicabilis aut immedicabilis erit, prout minor aut major atonia fuerit. Simili modo in hydropibus a sanguinis aut aliis profluviis natis, ii qui ab his profluviis saepius iteratis nati sunt, ut ab haemorrhagiis uteri, a diarrhoea, diabete, saepe medicabiles sunt. Verum etiam hujus ipsius rei judicium magnitudinem debilitatis respicit. Quae debilitas, si eo non pervenit ut vires concoctrices laedat, sanari posse speranda est; contra, si vires multum laesit, insanabilis est. Postremo, qui hydropes ab exanthematis aut excretionibus suppressis profecti sunt, si causae medicabiles sunt, ii quoque medicabiles erunt. Atque haec de hydrothorace, utpote in quem omnia illa cadant, dici pariter possunt.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Quoniam, ut ſupra dictum eſt, omnis hydrops vel ad aquam praeter naturam effuſam, vel ad abſorptionem praeter naturam imminutam, referendus eſt, medendi conſilia haec ſequuntur.

1mo, Effusum humorem, actione abſorbentium vaſorum excitata, auferre.

2do, Plus profundi accumularique, exhalatione imminuta, firmorumque tono et ſanguinis craſi reſtitutis, prohibere.

Primo conſilio ſequentia remediorum genera reſpondent; emetica, alvum purgantia, urinam, ſudorem, aut ſalivam moventia.

De quibus priuſquam loquamur, haud alienum eſt praemonere, in hydrope non ſolum unum remedium pro altero, ſed unam ſpeciem pro altera adhibendi, aliudque alio, prout diverſe reſpondeant, mutandi ſaepe eſſe neceſſitatem.

Ad emetica natura dirigimur; quia ſaepe vomitus ſponte incidens aliquando ſaluti fuit. Nihil emeticis potentius vaſa abſorbentia excitat. Quo fit ut aqua, prius ſanguini reddita, poſtea per urinae aut alvi ſimiliave itinera corpore ejiciatur. Quibus Sydenhamus confidens, reliquis formis vinum antimoniale, quod ſaepe infra pariter ac ſupra purgat, antetulit. Emeticorum tamen in nonnullis caſibus uſui moderandum eſt, ut in haemorrhagicis hominibus, ne vomendi molimen, ſanguinem citando, clauſa vaſorum ora iterum aperiat. Praeterea, eorum uſui obſtat ingrata pleriſque natura; quo fit ut toties plerumque, quoties dato opus ſit, dari non poſſint. Cui incommodo aliqua ex parte remedio eſt tartarum emeticum intra vomendi modum retentum.

Ex alvum acrius purgantibus elaterium et gambogium magno uſui ſunt. Item jalapium, quod ſaepe prodeſt, potentius mercurius et antimonium reddunt. Quod

ad

ad acriter purgantia attinet, cum aquam, quam celerrime vires ferant, auferri interſit, eo minus ideo adhibenda videntur, quod niſi longioribus temporis intervallis iterum dari non poſſunt, et ſic ſpatium, quo aqua denuo colligatur, permittunt. Ob hanc cauſam leniora cathartica adhibita magno uſui eſſe reperta ſunt; vel, ſi acria adhibenda videbuntur, intervallis quibus dantur, lenius purgantia, quo minus aqua denua colligatur, commode interponuntur. Urinam moventibus non ita ac catharticis fidendum eſt. Quorum tamen maxime memorabilia ſunt, cremor tartari, tartarum regeneratum, ſcillae, allium, colchicum, et ſales alkalini fixi. Cremor tartari binis vel ternis unciis vicenarum et quaternarum horarum ſpatiis datus, qua copia urinam vehementer movet, multum ſaepe profuit. Quo certius ſcillae urinam moveant, exiguum earum aliquid, ita ut non alvum moveant, dandum eſt. Tantumque earum quoque datum, quantum vomitum

moveat,

moveat, magno ufui eft. Atque duo trefve hydrothorace laborantes in Nofocomio, fuperiore aeftate, egregius nofter Homius fic fanavit.

ALLIUM et colchicum profuiffe non defunt exempla; quorum illud copiofius dare convenit. Sales alkalini fixi, licet urinam movendi poteftatem poffideant, tamen, vel quia acido in ventriculo occurrentes in neutros mutantur, vel quia ad urinae itinera non perveniunt, fpem faepe fallunt.

QUOD ad fudorem moventia pertinet, cum hydropicorum plerumque cutis, humore perfpirabili in cava hydropica effufo, arefcat; fi perfpiratio augetur, minus aquae in cava confluet, et fanguis ab aqua redundante repurgabitur. Balneum, quod hoc confilio adhibitum eft, minus eo refpondet, quod nocet relaxando. Cui igitur arenae calidae ufus jure anteponitur. Celfus * "Evocandus," ait, "fudor

* Lib. 3 cap. 21.

"eft,

" eſt, non per exercitationem tantum, ſed " etiam in arena calida, vel laconico vel " clibano, ſimilibuſque aliis ; maxime e" nim ſunt utiles naturales et ſiccae ſu" dationes." Utilia interdum ad hanc rem ſunt antimonium et opium conjuncta, utiliora ſaepe quam quodvis eorum ſeorſim. Monroius vinum antimoniale laudat, et unum hominem eo ad ſanitatem reductum memorat.

SALIVA quoque mota in hydropis curatione eſt. Mercurius, et pro urinam et pro alvum movente, adhibitus, a quibuſdam eſt: Pro urinam movente minus ei credendum eſt, quod ejus in urinae itinera difficilius actio vertitur. Cujus uſum et hoc nomine medici fugerunt, denſitatem ſanguinis eo imminui opinantes. Quae abſque ratione opinio eſt; ſiquidem ſanguis, poſt ejus uſum detractus, cruſtam inflammationis et omnia denſitatis auctae ſigna prodit. Idem mercurius, qui vaſa excernentia univerſa ſtimulat, utilis eſſe poteſt.

poteſt. Sputum vero lene et conſtans amplo ſalivae profluvio praeſtat.

Sub puncturarum capite, veſicatoria, fonticulos, puncturas cutis, et thoracis inciſionem, comprehendimus, quae, licet gangraenam facere periclitari dicantur, utilitate interdum non carent. Inciſioni puncturae praeſtant, et alta ſub cute ſetacea proſunt. Conveniatne thoracem aperire, inter medicos parum convenit. La Motte hoc curationis genus damnat, eoque magis, quod pectoris omnem hydropem inſanabilem eſſe dicit; additque, licet antiqui pectus incidendum monuerint, cum prius tamen cauſa morbi, quam incidendi opus attentetur, tollenda ſit, eaque aſthma aut malum aliquid inſanabile ſaepe ſubſit, ideo exitiale conamen omittendum ex toto eſſe; neminem enim illo opere quenquam ad ſanitatem reduxiſſe. Quod ita eſſe, ad rationem et experientiam omnium provocat. Contrarium

um Morandius * ſentit. Cui ego quoque, cum virium ulla integritas reſtet, neque morbum cauſa inſanabilis fecerit, incidendum pectus, ita aſſentio, ut, niſi cauſis

* "Il y a fort peu d'exemples d'hydropiſie de poi-" "trine guèrie par operation. Seroit elle donc dange-" "reuſe cette operation ? Point du tout ; c'eſt qu'on ne" "la practique pas. Dans les hoſpitaux même, ou l'on" "nous ſoupçonne aſſez legèrement d'avoir plus de cou-" "rage pour les grandes entrepriſes, et moins d'egard" "pour les malades, on ne fait point cette operation ;" "et je ſuis convaincu qu'il meurt quantitè de gens," "dont un grand nombre auroit été ſoulagè, et plu-" "ſieurs guèris par ce ſecours employè à propos. Dans" "les grandes hoſpitaux, ou j'ai fait la chirurgie, et ou je" "m'occupois de la diſſections en même temps, j'ai vû" "tres ſouvent l'ecole anatomique inondèe des eaux qui" "ſortoient de la poitrine des cadavres ; ſi on êut evacuè" "ces eaux par l'empiéme, avant que les ſujets fuſſent" "devenus l'object de nos recherches, il eſt fort vrai-" "ſemblable qu'on eu auroit ſauvè plus d'un, puiſque," "dans le grand nombre de ceux qui etoient dans ce" "cas, pluſieurs ne preſentoient point d'autre cauſe de" "mort. Il eſt dont eſſentiel de publier le ſuccès des" "operations rares pour encourager à les faire." Memoire de l'Academie de Chirurgie.

ſis etiam per medicamenta ſublatis, nullam morbi radicitus tollendi ſpem dari contendam.

Ne humores iterum accumulentur, exhalationem imminuendo, firmorumque tonum et ſanguinis denſitatem reſtituendo, victus, exercitatio, fricatio, aër, et tonica uſurpantur.

Cibus quam maxime alens et firmus eſſe, potio exigua, et ſimul ſtimulare ſimul aſtringere debet, quale generoſum et optimae notae vinum eſt. Infuſa abſynthii, et ſimilium amarorum, raphani ruſtici, aeque ac aliorum ſtimulantium, uſui ſunt, cum vinum in promptu non eſt. Vinum paulo liberius bibere licet ; omnem potionem dilutiorem quam minime. Sitis, os frigida aqua acido tincta lavando, leniatur; aqua ne hauriatur.

Nihil adverſus hydropis reditum efficacius exercitatione eſt ; ea, firma agitando et ſanguinem citando, univerſas excretiones, et praecipue cutaneam, promovet,

movet, et ſic, ſanguinem humore ſupervacuo repurgando, ſummopere utilis erit. Itaque, ut excretiones ſuppreſſae ad morbum creandum facere ſupra dictae ſunt, ita eaedem auctae ad ei occurrendum pertinent. Praeterea, vaſa abſorbentia excitare, et ut liberius humorem exhalatum auferant curare, ex uſu eſt. Denique, ut quies omnia reſolvit, ita omnia excitat exercitatio. Verum, cum hydropici homines debiles ſint, exercitatio eorum viribus accommodari, et fatigatio vitari, debet; quia labor omnis immodicus non excitat, ſed laſſat hebetatque.

Aer effecta exercitationis juvat, ſi ejus delectus habetur. Ejus igitur cum humore calor, quae corpus reſolvunt, fugiantur, contra frigus modicum et ſiccitas, quae denſant firmantque, et excretiones, praecipue cutaneam, expediunt, quaerantur.

Multa tonica, ut chalybeata, gentiana, et his ſimilia, hic ex uſu ſunt, e quo-

rum numero Du Haenius corticem Peruvianum magnis in hujus morbi curatione laudibus profequitur. Datus electuarii forma, ea copia quam ventriculus ferat, vel vino infufus, et cyatho bis terve die fumptus, adverfus hunc morbum efficax reperitur.

FINIS.